

n. 34, et latius legitur post consil. 1000 Menochii.

(54. Et hoc itidem est de mente sacre Congregationis Episcoporum et Regularum, quæ, teste Sperello, cit. dec. 43, n. 14, pluries ordinariis locorum rescripsit, ut quoad annonam, et ad exactionem frumenti conformet se cum ordinationibus magistratum secularium, similes facientes ordinationes, quas postea servari curent, et signanter ita rescripsit D. Nuntio Neapolitano sub die 13 Septemb. 1591, et 23 Augusti 1593, domino episcopo Parmensi de anno 1599, et alias passim. (55. Et sæpe sæpius quoad hæc et similia idem rescripsit, et decrevit sacra Congregatio Immunitatis, ut patet ex variis decretis adductis verb. *Frumentum*, et ex aliis, quæ hic ad litteram dantur, prout referuntur a D. Petro Andrea Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Edicta laicalia*, et verb. *Edicta ecclesiastica*, ibi: (56. Edicta, et banna eminentissimi legati comprehensiva ecclesiasticorum, tum secularium, tum regularium, sunt repugnantia immunitati et libertati ecclesiasticæ, et injungitur, ut ea revocet. Ferrar. 18 Octob. 1633, lib. II *Decr.*, Paul., p. 175.

(57. Edicta sanitatis publicata a laicis contra ecclesiasticos tempore contagionis, et simul continentia pœnas, etc., revocantur tanquam contraria immunitati, et jurisdictioni ecclesiasticæ, et injusta, et ideo tanquam nulla, irrita et invalida censuit, et declaravit sac. Congr. quæ tamen injungit episcopis, ut dicto tempore contagionis, summa concordia, et diligentia eorum Tribunalia una cum secularibus publicæ sanitati, et securitati incumbant, et communibus consiliis hanc rem gerant. *Neapolitana*, et *Mediol.* 10 Jul. 1657, *Lib. decr.* Rocci, pag. 16, 18.

(58. Edictum magistratus sanitatis tempore suspicionis pestis comprehensivum omnium ecclesiasticorum, est revocandum, et episcopus debet se conformare, seu se unire potestati laicæ, edendo edictum pro eo, quod respicit ecclesiasticos. *Mantuana* 11 Novemb. 1679, lib. II *Decr.* Altovit., pag. 1870. Hoc edictum magistratus pie reformavit opera episcopi ad formam debitam canonicam, in eadem 20 Jan. 1680, lib. II *Decr.* Altov., pag. 1910.

(59. Senatus Mediolanen. revocat edictum sanitatis tempore contagionis editum, læsivum immunitatis, et jurisdictionis eccles. ut ex litteris dicti senatus ad Sanctissimum, et ex brevi Sanctissimi eidem senatui patet. *Mediolan.* 26 Febr. 1653, *Lib. decret.* Rocci, pag. 63.

(60. Edictum laicorum prohibens extractionem frumenti, et similitum, episcopus revocet per decretum registrandum in actis suæ curiæ ad perpetuam rei memoriam, et deinde publicet denuo aliud edictum prohibens ecclesiasticis talem extractionem, ad formam edicti publicati a laicis, nulla tamen facta mentione de illo. *Parmen.* 26 Martii 1658; *Lib. decr.* Rocci, pag. 80.

(61. Edictum principis laici prohibens

ecclesiasticis extractionem bladarum, et animalium, ac venditionem ipsorum sine ejus licentia, est delendum, et ad hoc ser. ser. Princeps est cogendus. *Sarzanen.* 17 Dec. 1624, *Lib. script. veterum*, p. 46.

(62. Edictum, consuetudo, vel statutum principis secularis, quo prohibetur extractio fructuum extra territorium, non comprehendit ecclesiasticos. *Casalen.* 14 Febr. 1628, *Lib. decr.* Paul., p. 84.

(63. Edictum super bladis extrahendis iudicis laici non comprehendit ecclesiasticos. *Papian.* 10 Septemb. 1629, lib. II *Decr.* Paul., p. 68.

(64. Edictum generale magistratus urbis Alcaniz regni Aragoniæ, prohibens, ex motivo publicæ necessitatis, extractionem frumenti, quoad omnes habitantes, absque exceptione ecclesiasticorum, est irritum, *Casaraugust.* 23 Novemb. 1688, *Lib. decr.* Martelli, p. 379.

(65. Edictum per communitatem publicatum super prohibitione pasceudi, non comprehendit ecclesiasticos; sed episcopus, ob necessitatem boni publici, hoc idem edicto publico mandare debet. *Sutrina* 13 Augusti 1629, lib. II *Decr.* Paul., p. 2.

(66. Edictum in materia annonæ a laicis publicatum comprehensivum ecclesiasticorum, est moderandum quoad ea quæ tangunt ecclesiasticos. *Mantuana* 3 Martii 1676, lib. I *Decr.* Altov., p. 1212.

(67. Episcopus curet declarari edictum regium quo prohibetur ne quisquam emat, aut vendat res cujuscunque generis sine mensura bullata a communitate, non comprehendere nec directe, nec indirecte ecclesiasticos. *Lycien.* 27 Martii 1687, *Lib. decr.* Martelli, p. 105.

(68. Edictum vulgo *Grida*, jussu ducis N. facta, præcipiens describi omnes personas sui status, non comprehendit ecclesiasticos, nec personas exemptas. *Casalen.* 9 Martii 1690, *Lib. decr.* Martelli, p. 607.

(69. Edictum gubernatoris Mediolani circa omnes censualistas nequit afficere loca pia. *Cremon.* 31 Jul. 1691, *Lib. decr.* Martelli, p. 748.

(70. Edictum regium quoad taxas impositas causa monetæ novæ, non afficit ecclesiasticos. *Aprutina* 1 April. 1695, lib. I *Decr.* Vallemani, p. 180.

(71. Syndicus communitatis potest cogi ad declarandum, quod sub edicto prohibitivo contractionis farinæ non comprehenduntur ecclesiastici ad removenda omnia impedimenta contra ecclesiasticos. *Ruben.* 11 Apr. 1690, *Lib. decr.* Mart., p. 599.

(72. Quoad edicta generalia, quæ poterant afficere ecclesiasticos, publicata a quodam sacerdote ministro baronis, quæ fuerant affixa in prædiis ecclesiasticorum, absque tamen mandato dicti sacerdotis, decernitur, quod prævia declaratione de non comprehendendo ecclesiasticos, et abolitis actis respicientibus affixionem, quatenus adsint, episcopus absolvat ad cautelam dictum sacerdotem; ministri vero publicantes, et affigentes præfata edicta non absolvantur, nisi prævia revocatione, eo modo, quo fuit

facta publicatio. *Oritana* 22 Apr. 1698, lib. II *Decr.* Vallem., p. 149.

(73. Præcipitur confectio novi edicti exclusivi ecclesiasticorum, tam directe, quam indirecte. *Spoletana* 13 Martii 1698, lib. II *Decr.* Vall., p. 154.

(74. Quoad edictum magistratus prohibens tabernariis appendere res venales in columnis porticus, quos ecclesia S. Laurentii habebat jus locandi, episcopus procedat prout de jure. *Imolen.* 4 Martii 1699, lib. II *Decr.* Vall., p. 219.

(75. Jubente sanctissimo, injungitur archiepiscopo Neapolitano publicare edictum pœnale, ne aliqua persona ecclesiastica secularis et regularis audeat tempore suspicionis pestis ingredi civitatem Neapolitanam absque speciali licentia in scriptis ejusdem archiepiscopi gratis concedenda. *Neapolitana* 20 Junii 1656, lib. VI *Decr.* Paul., p. 100.

(76. Et injungitur nuntio, ut quinque canonicos Lateranenses, qui fuerunt ingressi, puniat rigorose, nec non abbatem, qui illos recepit. *Ibid.*

(77. Archiepiscopus edere debet edictum separatim ab edicto laicali quoad personas ecclesiasticas, prohibitivum circa immunditias. *Tarentina* 12 Decembris 1651, lib. IV *Decr.* Paul., p. 711.

(78. Episcopus publicet edictum conforme ad statutum civitatis circa qualitatem animalium detinendorum in territorio Spoletano. *Spoletana* 16 Jul. 1686, lib. III *Decr.* Altov., p. 386.

(79. Leges sæculares, sive communes, sive municipales aliquorum locorum, generaliter disponentes circa contractus, aliasque res profanas, si sint favorabiles, extenduntur, et procedunt etiam quoad clericos, et ecclesias, earumque res; secus si sint istis præjudiciales. *Communis* cum Menochio lib. II *De Jurisd.*, c. 1, casu 3 et 4; card. de Luca. *Miscellan. Ecclesiast.*, disc. 7, n. 6 et 10; Pirhing. lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 74; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 315.

(80. Clericus iniens contractum cum laico, ut valeat contractus, debet observare solemnitatem, et formam a lege seculari pro tali validitate præscriptam; aliter contractus corruit. Abbas in cap. *Ecclesia Sancta Mariae* 10 *De constitutionibus*, n. 43; Felinus, *ib.*, n. 81; Maranta, disp. 8 *Questionum legalium*, n. 33 et 48; Federicus *De senis* cons. 85; Sperellus, dec. 10, n. 3; Reiffenstuel *loc. c.*, n. 342, et alii passim. Et ratio est, quia tali contractui resistit lex secularis, utpote inhabilitans laici consensus ad taliter contrahendum; l. *Cum lex*, ff. *De fidejussoribus*. adeoque corruit contractus in totum, et nulla ex eo oritur obligatio. Cum enim contractus claudicare nequeat, veluti importans ultro citroque obligationem, l. *Labeo*, § *Contractum*, ff. *De verbor. signific.*, neque clericus, quamvis ipse tali legi astrictus non sit, tali informi contractu juvari, et contra laicum uti poterit. (81. Validus tamen est contractus, si clericus, ubi viget talis lex, contrahat cum alio clerico; quia tali casu utraque pars contrahentium est persona non

FERRAR. V.

subdita legi sæculari, seu laicali, adeoque non tenetur ad ejus observantiam, cum leges sæculares, seu laicales nequeant astringere, neque sub nullitate actus obligare personas ecclesiasticas, ex quo istæ, vi privilegii fori, sint exemptæ a jurisdictione laicali; c. *Bene quidem* 1, c. *Satis evidenter* 7, cap. *Si imperator* 10, et cap. *Nunquam* 11, dist. 96; c. *Decernimus*, cap. *At clerici* 4, cap. *Clerici* 8, et cap. *Qualiter* 17. *De judiciis*; c. *Ecclesia Sancta Mariae* 10, *De constitutionibus*, cap. ultim. *De rebus ecclesiasticis non alienand.*, c. *A nobis* 21, c. *De sententia excommunic.*, c. *Ut animarum* 2, *De constitutionibus*, in 6; cap. *Sæculares* 2 *De foro competent.* in 6, l. ult. *De jurisdic. omnium judic.*, cum similibus. Ita Felinus in cit. cap. *Ecclesia Sancta Mariae*, n. 94; Maranta, cit. disp. 8, n. 51; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 343, et alii passim cum Sperello dec. 15, n. 10, ubi dicit hoc esse indubitatum, si in clerico testamento alter clericus sit institutus, vel ab uno clerico fiat donatio in favorem alterius clerici, cum tunc lex laicalis in clericis sic testantes, vel donantes nullam habeat jurisdictionem, nec ratione rerum, nec ratione personarum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(82. De legatis, tum studiosis disputari solet, an ii, durante legatione, et peregrinatione studiorum causa, ligati sint legibus illius regionis, in qua morantur?

(83. Quod concernit legatos, eorumque comites, cum considerandi ii haud sint ex sua persona, sed representent absentes a quibus sunt missi, perinde ac absentes illi, haud tenentur jure civili ejus populi, apud quem legationis causa degunt, Voet *Comment. ad Pand.*, lib. I, tit. 3, n. 12.

(84. Quod vero atinet ad studiosos, diversa sane esse debet eorum causa. Etenim cum in his haud militet maxima illa utilitatis publicæ ratio, et jure gentium introducta sanctitas; inde fit, ipsos quoque communi jure censerit, ac parere legibus illius loci, in quo causa studiorum morantur, eo tamen modo, et eatenus, quatenus et peregrinantes alii, dum sunt in territorio, tenentur; idem Auctor ubi supra, n. 13.

ADDITIONES CASINENSES.

Traditis ab auctore sub n. 11 et seqq. et illud adde, nempe, archiepiscopos posse quidem condere novas constitutiones obligantes in sua particulari diœcesi (ibi namque suam propriam habent jurisdictionem, non secus ac alii episcopi); non tamen posse statuere leges obligantes totam provinciam, nisi in concilio provinciali, et de consensu suorum suffraganeorum, seu comprovincialium episcoporum. Patet hoc totum ex can. *Nullus primas*, 7, caus. 9, quæst. 3, ibi: « Si quis metropolitanus episcopus (nisi quoad ad suam solummodo provinciam pertinet parochiam) sine consilio, et voluntate omnium comprovincialium episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subiaceat, et quod egerit, irritum habeatur, et vacuum. » Concordat c.

Sicut olim 28, De accusat., ac tenent Suarez... Sanchez... etc. Reiffenstuel, ad tit. ex. De constitution., § 4, n. 74.

ARTICULUS IV.

Lex quoad ea quæ concernunt intentionem, modum, et tempus eam adimplendi.

SUMMARIUM.

1. In executione operis a lege præcepti duplex potest haberi intentio: una scilicet præstandi opus, quod præcipitur, et alia satisfaciendi legi, seu præcepto per tale opus. — 2. Ad impletionem legis, seu præcepti non requiritur intentio ei satisfaciendi. — 3. Hinc si quis die festo, missam audiat, immemor esse diem festum, is nihilominus satisfacit præcepto, neque necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per missam jam auditam. — 4. Quamvis autem ad satisfaciendum legi, seu præcepto non requiritur intentio satisfaciendi ipsi legi, seu præcepto, requiritur tamen intentio præstandi opus, quod præcipitur. — 5. Hinc, si quis, curiositatis gratia, aut sine inveniendi amici, intret in ecclesiam nihil cogitans de missa, quæ interim celebratur, is non satisfacit præcepto audiendi missam. — 6. Legi, seu præcepto satisfacit, qui faciens opus præceptum, expresse intendit per illud non satisfacere. — 7. Affertur, et solvitur instantia. — 8. Hinc licet quis die festo, missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum aliam audire. — 9. Item qui recitavit officium divinum non ex devotione, seu attentione qua voluisset, et ideo proposuit repetere ad satisfaciendum præcepto, is non tenetur repetere. — 10. Item qui missam audivit, divinum officium recitavit, poenitentiam sacramentalem peregit, et alia hujusmodi, cum expresso animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfacisse. — 11. Leges et præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante. — 12. Quinimo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per actionem, ex fine, vel circumstantia extrinsece malam, seu vitiatam. — 13. Hinc si quis jejundet, vel intersit missæ ob vanam gloriam, vel etiam, ut furetur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum etiam per tales, et similes actus, ex fine, seu circumstantia peccaminosos. Ipse tamen peccat contra aliud præceptum, cui finis ille malus opponitur. — 14. Item sacerdos, qui missam celebrat in statu peccati mortalis, satisfacit et suæ obligationi, et præcepto audiendi missam die festo, non obstante, quod gravissime peccet. — 15. Item adimpletur votum, juramentum Deo factum, poenitentia sacramentalis, et hujusmodi, quamvis actus, per quem adimpletur, sit malus, et peccetur contra aliud præceptum, cui actus ille malus opponitur. — 16. Nec valet objicere, quod adimplens legem, seu præceptum per actum peccaminosum, non adimpleat modum, ac finem præcepti; quia respondetur, quod modus, et finis non cadit sub præcepto, nisi sit de intrinseca ratione actus præcepti; seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, et expresse requisitus. — 17. Si autem modus, et finis sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, et expresse requisitus, nequit utique adimpleri præceptum, non adimpleto modo, ac fine, et affertur exemplum de sacrilega communione. — 18. Sic autem si quis dormiens die festo assistat missæ, non satisfacit præcepto ecclesiæ. — 19. Leges, seu præcepta, quamvis sine charitate, seu gratia sanctificante possint adimpleri satisfactorie, non tamen sine charitate, et gratia sanctificante possunt adimpleri meritorie. — 20. Potest

eodem tempore satisfieri pluribus legibus, et præceptis per diversos actus, quando unus actus non impedit alium debite exercendum. — 21. Hinc, qui die festo, audiendo missam, recitat Horas canonicas, satisfacit eodem tempore præcepto audiendi missam, et præcepto recitandi Horas canonicas. — 22. Item satisfacit præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinat, elicit actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparat ad confessionem. — 23. An autem, qui per notabilem partem missæ confitetur sua peccata, satisfaciat præcepto audiendi missam? remissive. — 24. Unico, et eodem actu potest satisfieri pluribus legibus, seu præceptis, extra tamen materiam justitiæ, et nisi aliud colligatur ex mente legislatoris, seu præcipiens. — 25. Hinc qui obligatur ad recitandas Horas canonicas ratione ordinis sacri, simulque beneficii ecclesiastici, satisfacit unica recitatione. — 26. Item qui tenetur jejunare ex voto die Veneris, si tali die currant quatuor anni tempora, et vigilia alicujus sancti, unico jejunio satisfacit tribus obligationibus. — 27. Item quando festum alicujus sancti incidit in Dominica, satisfiit duplici præcepto auditione unius solius missæ. — 28. Quando tamen sunt plures obligationes justitiæ, iis satisfieri non potest unico actu. — 29. Item quando circumstantiæ, seu verba legis denotant, legislatorem velle exigere actum non debitum, non potest satisfieri actu alias debito. — 30. Hinc si confessarius injungat poenitenti Rosarium pro poenitentia, et talis poenitens sit voto obstrictus ad Rosarium recitandum quotidie, poenitens non satisfacit præcepto confessarii per recitationem Rosarii debitam ex voto: nisi confessarius oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit. — 31. Item si confessarius pro poenitentia injungat auditionem missæ, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare poenitentem ad aliam auditionem missæ ab ea, quam die festo audire tenetur. — 32. Secus autem esset, si confessarius injungeret pro poenitentia auditionem quotidianam missæ pro uno mense, pro uno anno, et hujusmodi. — 33. Nullatenus potest unica numerice recitatione divini officii satisfieri duplici præcepto, v. g. pro die præseuti, et pro die crastino.

(1. In executione operis a lege præcepti, duplex potest haberi intentio: una scilicet præstandi opus, quod præcipitur, et alia satisfaciendi legi, seu præcepto per tale opus. *Communis*. (2. Ad impletionem legis, seu præcepti non requiritur intentio ei satisfaciendi; Vasquez 1, 2, q. 100, art. 9, Sanchez, lib. 1 *Decal.*, c. 13, n. 9; Herincx, disp. 3, *De legibus*, n. 80; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 2, *De legibus*, dist. 3, quæst. 5, n. 45, et alii communiter. Et ratio est, quia lex humana præcipit solam liberam, seu voluntariam operis externi executionem v. g. auditionem missæ; non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem, seu ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat præcepto satisfacere. (3. Hinc infertur, quod si quis die festo missam audiat, immemor esse diem festum, is nihilominus satisfaciat præcepto; neque necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per missam jam auditam, quia implevit substantiam actus præcepti. *Communis*.

(4. Quamvis autem ad satisfaciendum legi, seu præcepto non requiratur, ex dictis, intentio satisfaciendi ipsi legi, seu præcepto, requiritur tamen intentio præstandi opus, quod præcipitur. Sanchez, lib. 1. *Decal.*, cap.

13, n. 2; Bonacina, *De legibus*, disp. 1, q. 1, punct. 10, n. 2; Reiffenstuel, l. c. n. 44, et alii passim. Et ratio est, quia opera præcepta debent præstari modo humano; non præstantur autem humano modo, nisi adsint voluntas, et intentio ea præstandi, adeoque, etc. (5. Hinc infertur, quod si quis curiositatis gratia, aut sine inveniendi amici, et alio hujusmodi fine intret in ecclesiam, nihil cogitans de missa audienda, quæ interim celebratur, is non satisfacit præcepto audiendi missam, quia cum non habuerit intentionem et animum ipsam audiendi, non censetur eam audivisse. Item si quis recitet Horas canonicas solo fine et animo legendi, vel discendi, non satisfacit præcepto divini officii persolvendi, quia ad id requiritur intentio saltem recitandi Horas canonicas, seu orandi. Sic doctores citati, et alii communiter.

(6. Legi, seu præcepto satisfacit, qui faciens opus præceptum, expresse intendit per illud non satisfacere. Sanchez lib. 1 *Moral.*, cap. 13, n. 9 et 12; Lessius lib. 11, c. 7, dubit. 10; Suarez, lib. 11, *De legibus*, lib. *De horis*, c. 26, et in part. tom. III, disp. 88, sect. 3. Valentia, tom. III, disp. 6, qu. 10, in fine; Reiffenstuel, l. c. n. 46; Vasquez, 1, 2, q. 100, art. 9; Busemb., lib. 1 *De legibus*, tract. 2, c. 3, dub. 3, n. 693; La Croix, *ibid.*; Laymann, *Theolog. moral.*, lib. 1, tr. 4, c. 4, n. 7, et alii plures contra Navar. *De orat.*, c. 16, n. 73; Azor., tom. I, lib. VII, c. 2, q. 16, et alios. Et ratio est, quia leges et præcepta obligant solum ad substantiam operis injuncti, adeoque, illa posita, satisfiit legi, etiam contra expressam intentionem operantis, cum non sit amplius in potestate operantis, ut non satisfaciat. (7. Nec valet objicere quod actus non operetur ultra intentionem agentis, l. *Non omnis* 19. ff. *De rebus creditis*: quia id debet intelligi, quando est in potestate operantis, v. g. satisfacere, vel non. Nec item valet dicere, quod sicuti voto obligatus ad faciendam eleemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit; ita a pari, in casu legis adimplendæ cum animo illam non adimplendi, non satisfacit; non valet, inquam, quia in tantum obligatus voto ad faciendam eleemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit, quia talis et similis obligatio provenit ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, sic indebito libere permanere potest; obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non exenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti, quæ posita non est in potestate operantis, nolle per ipsam satisfacere, quia cum legislator hoc solum præceperit, ut opus humano modo impleatur, eo opere præstito, exstinguitur statim obligatio independentem ab intentione satisfaciendi operantis. Busemb. *loc. cit.*, n. 693; Coninch., n. 309; Laym., *loc. cit.*, n. 7. Lessius *loc. cit.*, et alii. *Vid.* verb. *Missa*, art. 17, n. 11 et 12.

(8. Hinc infertur quod licet quis die festo missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum aliam audire. (9. Item, qui recitavit divinum officium, vel partem ejus, non ea devotione et attentione qua voluisset, et ideo proposuit repetere ad satisfaciendum præcepto, non tenetur repetere, quia per illam primam recitationem satisfecit præcepto. (10. Item, qui die festo missam audivit, divinum officium recitavit, poenitentiam sacramentalem peregit, et alia hujusmodi cum expresso animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfacisse, quia vere satisfecit. Lugo *De Eucharistia*, disput. 22, sect. 2, n. 12; Salas, d. 9, n. 33; Busemb., *loc. cit.*, Sanchez, et aliisupra citati.

(11. Leges et præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante. *Communis*. Et ratio est, quia præcipitur solum substantia actus inclusi in præcepto, non autem modus præcepti; æque enim adimplet legem, qui eam observat in peccato, ac qui eam observat, in gratia; quis enim diceret, quod non satisfaciat præcepto audiendi missam, præcepto jejunandi, præcepto honorandi parentes, et hujusmodi, qui talia, et similia præcepta exsequatur existens in peccato? Unde falsissimum est, charitatem esse necessariam ad implenda omnia præcepta, ut perperam docuerunt Baius, Jansenius, et alii, et ideo a S. Pio V, die 1 Octob. 1567, const. incip. *Ex omnibus*, a Gregorio XIII, die 29 Januarii 1579, constit. incip. *Provisionis nostræ*, et ab Urbano VIII, die 6 Martii 1641, constitut. incip. *In eminenti* inter 79 propositiones Michaelis Baii, et aliorum, merito damnata fuit sequens propositio in ordine 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate*.

(12. Quinimo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam et vitiatam. Sanchez, lib. 1 *Moral.*, c. 14. Layman, l. 1, tract. 4, c. 4, n. 6; Lugo, disp. 22, sect. 2, n. 23; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 43, et alii communiter apud Mastrium, *Theol. moral.*, disp. 2, q. 5, num. 169. Et ratio est, quia lex præcipit tantum substantiam actionis ex objecto suo honestæ: non autem finem, vel circumstantias, adeoque potest quis, ponendo substantiam legis, seu præcepti, satisfacere ipsi legi, seu præcepto; etiam per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam et vitiatam, quamvis peccet pro ratione pravi finis aut circumstantiæ malæ. (13. Hinc infertur, quod si quis jejundet, vel intersit missæ ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum, etiam per tales et similes actus ex fine seu circumstantia peccaminosos, quia implet substantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur. (14. Item sacerdos, qui missam